

dū factas sibi iniurias cōdonant, Matt. 6. b. 14. Quoniam autem Apostoli non modo testes sunt remissionis peccatorum, eamque sua doctrina in conscientiis hominum consignant: sed etiam offerunt quasi apud se depositā: merito ad eos quoque munus remittendi peccata transfertur, Ioan. 20. e. 23. Horum tamen nihil obstat, quin penes Deum sua in solidum potestas resideat. Et certe si fas nō est de peccatorum remissione loqui, nisi addita confessionis mentione: tollenda estē medio Scriptura, quæ toties priorem illam doctrinam inculcans, de auriculari confessione nusquam verbulum vnum facit.

Psal. 50. a. 1.

Artic II.

Annotatio ad titulum, Canit autē quòd olim magnifice Deus cunctas orbis nationes Euāgelio ad se sit vocaturus, & electos suos potentissima manu asserturus, quo tempore nulla sacrificia, sed suæ bonitatis tantum prædicationem requiret. Bibliis 1545.

Censura, Hæc annotatio, quoad duas postremas partes, est hæretica.

Cessasse Christi aduentu sacrificia, hæte-